

se constar, nunc licere, aut expedire est necesse. Non est igitur consequens, ut litteræ sacræ in linguam vulgarem translatae, nunc populo legendæ tradantur, quamvis illas olim in lingua vulgari toti populo traditas esse constaret. Hæc sunt quæ contra nostram sententiam ab aliquibus obijci intelligo: quibus omnibus abunde satis respondisse me puto. Cætera vero si quæ sunt, indigna esse opinor ut illarum responsione tempus teramus, & chartas impleamus.

CAPUT VIII.

De ultima Hæresum Causa, quæ est Afsidua, & incauta in libris gentilium hominum lectio.

Ultima se mihi jam offert (ex his, quas Principes facile tollere possunt) hæresum causa, quæ est afsidua, & indiscreta, sive incauta lectio librorum hominum gentilium, præsertim si à teneris annis quis illorum lectioni studuit, & totam in illis expendit operam. Nam quod hæc res sit potens ad hæreses varias procreandas, inde constare potest, quod quidquid ad Christianam spectat religionem, sive ad mores, sive ad credendorum fidem referatur, id totum apud gentiles auctores rejicitur, & deridetur. Quoniam si eorum aliqui virtutes doceant, hi tamen, qui rarissimi apud illos sunt, ea firmissime sentiunt, & totis viribus persuadere conantur, quæ cum fide Catholica velut ex diametro pugnant. Et circa ipsarum virtutum, quatum ex promotores profitentur, doctrinam præstandam, hi, quos pro miraculo ipsa gentilitas suspexit, & quasi sapientia fontes veneratur, miserrime errant, ea docentes, quæ juxta veritatem Evangelicam ab affectione felicitatis æternæ, quam illi cacutientes quærebant, omnino avertunt. Multi enim ex illis virtutem, & hominis ultimam felicitatem ex suo affectu statuerunt, id docentes, esse virtutem & felicitatem, quod ardentissime appetebant. Nam Epicurus pecora imitari volens, bonorum omnium finem dixit esse voluptatem, hæc sola ratione ductus, quod illam solum (ut ille ait) appetant belluæ. Alii divitias, alii honores, summum bonum esse dixerunt. Aristoteles, quem tota recentium Philosophorum schola tamquam magistrum recepit, & si multo melius, quam illi sapuit, non parum tamen hac in parte erravit. Nam licet felicitatem ille in cognitione constituat, hæc tamen in præsentis vite dicit habendam, nihil alteri vitæ relinquens, in qua nullam putat esse operationem. Quia in re adeo erravit, ut Paulus censcat (1. Cor. 13.) nos miserabiliores omnibus hominibus, si in hac tantum vite felicitatem assequi speramus. Quis enim non videt neminem sine miseria aliqua, aut indigentia, aut infelicitate in hac vita unquam vixisse, aut vivere posse? At eum, qui miseriam patitur, aut aliquo indiget bono, Aristoteles pluribus in locis fateatur non esse felicem. Et inde argumentationem colligentes, facie Aristotelem suo ipsius gladio configemus, probantes neminem in hac vita posse esse felicem: ac proinde supremam felicitatem non in hac vita, sed in alia esse expectandam. Sic enim argumentari possumus. Felicitatem omnes appetunt: est ergo naturalis hic appetitus, & inde sequitur talem appetitum non esse inanem, & frustra. Nulli autem (ut res ipsa docet) in hac vita, quam constat esse mille miseriis plenam, felicitatem assequuntur: in alia igitur vite est illa speranda. Deinde multa ad felicitatem pertinere dixit, quæ ad illam minime spectant, ut sunt nobilitas, divitiæ, boni

liberi, senectus commoda, & corporis bona, ut sanitas, pulchritudo, vires, proceritas, robur ad certandum, gloria, honor, prosperitas, potentia, & fortuna. Hæc autem omnia (ut sacræ nos docent litteræ) à vera illa, & plena, quam speramus, felicitate longissime absunt. Et si hic Philosophorum omnium maximus tam misere circa felicitatem erravit, quid de aliis multo minoribus sperandum erit? Ideo merito Salomon de Philosophis loquens ait: (Eccle. 10.) Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. Quæ verba interpretans Hieron. in commentariis super Ecclesiasten, ait: „Lege Platonem: Aristotelis revolve versutias: Zenonem, & Carneadem diligentiùs intueri, & probabis verum esse, quod dicitur: Labor stultorum affliget eos. Veritatem quidem illi omni studio quæserunt: sed quia non habuerunt ducem, & prævium itineris, & humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam, ad civitatem minime pervenerunt: de qua in Psalmo dicitur: (72.) Domine in civitate tua imaginem ipsorum dispisabis. Omnes enim umbras, & diversas imagines, atque personas quas sibi in variis dogmatibus induerunt, in urbe sua Dominus dispisabit, de qua & alibi scribitur: (Psal. 45.) Plurimis impetus lætificat civitatem Dei. Hæc Hierony. Præter hunc communem illorum omnium, quo tam falso de felicitate differuerunt, de virtutibus, & vitis tractantes, multos alios docuerunt errores. Nam fornicationem simplicem nullis illorum damnavit. Honores appetendos esse, & non fugiendos, omnes illi docuerunt. Divitiarum aliqui adeo æstimarunt, ut in illis felicitatem constituerent, de quibus Propheta Regius (Psal. 143.) ait: Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Alii (ex quibus est Aristoteles) & si felicitatem in divitiis non constituerunt, illas tamen pluris fecerunt, quam paupertatem, & plus ad virtutem prodesse posse, quam paupertatem, dixerunt. Et credo certe inde suam hæresim traxisse: Vigilantium, Joannem Vvicleph, & Joannem Hus dicentes, paupertatem voluntariam nullius profus esse apud Deum meriti: quem tamen ipse veritatis magister Salvator noster dixerit: (Math. 19.) Si vis perfectus esse: vade, & vende omnia, quæ habes, & sequere me. Alii videlicet Stoici (è quorum numero est noster Seneca, & quibus in hac parte se connumerari voluit in Paradoxis Cicero) docent omnia peccata esse paria, nec unum altero esse gravius. Sed Philosophis dimissis, qui uti in multis erraverunt, multa tamen alia vera, & honesta de virtutibus docuerunt: ad Poetas eorum veniamus, publicos omnium virtutum hostes & omnium vitiorum acutissimos diligentissimosque subornatores. Vix enim ullum est vitium, quod non fuerit summopore à Poetis laudatum. Quoniam nulla major potuit dari vitis laus, quam illa diis suis tribuere, quos oportebat esse summe bonos, & omnium virtutum parentes, & alumnos. Nam cum gesta illorum, quos populus pro diis colebat, narrant, illorum deseribunt tyrannides, patricidia, adulteria, incestus, raptus, fraudes, mendacia, & scelera nefanda: adeo ut inter honores reputent puerum Ganymedem à Jove deorum maximo ad amplexus nefandos fuisse raptum. Illa denique suis diis tribuunt vitia, quæ nullus homo sapiens pateret ut de se diceret. Quum autem hæc diis inesse dicunt, eo ipso hominibus persuadent, ut eadem faciant, quæ Deos fecisse audiunt. Nam exempla majorum multum ad persuasionem valent, ut eleganter Claudianus docet, sic inquit: Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Ut

Utque ducum lituos, sic mores castra sequuntur. Si Si exempla hominum movere possunt aliorum animos ad virtutem, aut virtutes, luce clarius est, id posse multo facilius præstare exempla Deorum. Nec solis exemplis ad voluptates, & lascivias lectorum animos provocat poetæ, sed etiam verbis, quæ tanto animo affectant esse oblectæna & turpia, ut poeta ab illis non censeatur, qui verba pudica habet. De qua re unum ex illis, Catullum videlicet, qui hæc tulit de carminibus poetarum legem, profero,

Nam castum esse docet pium poetam
Ipsum, vericulos nihil necesse est
Qui tum denique habent salem, & leporem,
Si sunt molliculi, & parum pudici.

Ridenda quidem est hæc Catulli sententia, & ab omni viro prudente merito exhibenda, & explodenda. Quis non rideat castum dici poetam, qui de libidine cogitat, obscenâ meditatur, lascivias, & impudicitias scribit, & loquitur, atque cantillat? Quis quisque est, talia loquitur, & scribit. Propter hæc malorum incitamenta, quæ poetæ auditoribus, & lectoribus præbent, Plato gravissimus Philosophus censuit illos esse procul à bona civitate abigendos, ne suo commercio totam profus inficerent civitatem.

De moribus hæcenus diximus illos apud gentiles scriptores esse vitiosos; sed opus est, ut pergamus dicere, quam male de his, quæ credere oportet, illi sentiant, & quam aperte fidem Catholicam illi oppugnent.

Omnia, quæ credere tenemur, duas Christi naturas respiciunt, divinam videlicet, & humanam: ea omnia gentiles non solum oppugnant, sed rident, & subfannant. Deum trinum, & unum non agnoscunt, sed multos secumque pugnantes deos adorant. Deum omnium creatorem non intelligunt, quia ex nihilo nil fieri posse credunt, & ita mandum sine principio fuisse, & sine fine futurum esse, docent. Deum esse bonorum remuneratorem, malorumque puniorem, major eorum pars ignorat, nihil post hæc vitam reliquum esse, sed animam simul cum corpore perire credit. Et si qui illorum animam immortalem esse credunt, ea de præmiis bonorum, & malorum suppliciis dicunt, quæ longissime à Christiana pietate absunt. Humani generis casum, & perditionem, illiusque originem, neque unquam cogitarunt, ac proinde illius reparationem per Christum Salvatorem nostrum factam, intelligere non valent. Deum pro nobis è cælo descendisse, humanamque sumpsisse naturam, & in illa pro nobis famem, sitim, dolores, varioque corporis cruciatu, mortem denique in ligno crucis pro nostris peccatis pertulisse, non solum non credunt, sed eos qui talia docent, & prædicant, stultos esse putant: Prædicamus inquit Paulus 1. Cor. 1.) Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ecce totam Christianæ religionis summam à gentilibus, & prophanis scriptoribus ignoratam, & à multis illorum oppugnatam, & irritam. Et inde apertissime convincitur, afsiduum illorum lectionem valde nocere posse viris Christianis, præsertim incautis, & infirmis. Ideo Paulus optime cognoscens plurimum veneni esse in his profanis scriptoribus, admonet, (Coloss. 2.) ut circa illorum lectionem cauti simus: Videte, inquit, ne quis vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi. Quæ verba interpretans Ambrosius in commentariis super epistolam Pauli, ait: „Philosophiam dicit terrenam, per quam solent seduci, qui cupiunt prudentes judicari in mundo.

Br aliquibus interpositis, subdit: Detinetur enim verisimilibus causis, & commentitiis rebus nihil tam verum æstimans, quam conspiciunt & intelligunt in elementis. Et quia quæ ad præsens sunt, & cernuntur oculis, sua via & oblectabilia videntur, aliquantos seducunt, qui spirituales rationem despiciendam, & ridendam putant, desperatione futuri, omnem vim astris assignantes, carnali rationi obnoxii, ne gravia credenda sint sustolli in cælum posse, ne leve venire ad terras, aut aliquid corporeum sine rerum admixtione generari, repugnantes potentia, ac providentia Dei. Sciunt enim legi in divinis veteribus Hebræorum voluminibus, multa gesta per Moysen, quæ humana ratio non capit, simili modo & in novis libris facta à Domino, aut per Apostolos, quæ tractatus carnalis prohibet credi. Hanc ergo traditionem, vel philosophiam fallacem, & inanem appellat, quia non à potentia Dei ordinata est, sed ab imbecillitate, ratiocinationis humana, quæ potentiam Dei intra scientiam Dei constar, ne aliter credatur facere, quam carnalis, se continet ratio, quia singulis elementis divinitatis diversitate deputant ad culturam, ut obligent animos imperitorum, ne se ad Deum verum extendant. Quamobrem cavendam monet traditionem istam, quia mundi cultrix est, non Dei qui unus est, nec ad Christum; sed à Christo abstrahit, in quo perfectio divinitatis est. Hæcenus Ambrosius. Est adhuc in libris gentilium, & aliorum prophanorum hominum aliquid aliud falsæ illorum doctrinæ adjunctum, eloquentia scilicet, quæ illis magnas ad nocendum vires præstat. Nam ea, de quibus disserunt, non rudièr & impolite tractant, sed magno artificio poliunt, magna verborum elegantia exornant, adeo ut si res ipsæ quas tractant, animos legentium forte deterreant, ipse splendor orationis, & verborum ornatus allicere valeant. Et inde evenit, ut doctrinæ venenum tanta verborum dulcedine permixtum, tanto facilius incautis nocere possit, quanto libentius ab illis bibetur, cum illi non quod intus lateat, sed sola exteriorum verborum dulcedinem consideret. Quanta autem sit eloquentia vis & potentia, si quis forte ignorat, legat Valerium Maximum, lib. 8. cap. 9. ubi multis variisque exemplis probat, tantam esse illius potentiam, ut sæpe hominum animos quamlibet distantes ad se trahere, & duos flectere, & mollire possit. De qua re, cum multa possint proferri exempla, unum tamen solum idque efficacissimum offerre volo, quod narrat Cicero lib. 1. Tusculanarum quæstionum, & post illum Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 22. Plato in quodam libro, qui dicitur Phædon, eloquentissime disputat de immortalitate animæ, probatque illam esse immortalem. Hunc librum quem legisset Cleombrotus quidam Ambraciota, nulla molestia pressus, statim se præcipitem de muro dedit, ut ex hæc vita mille miseriis plena, migraret ad aliam, quam credidit esse multo meliorem. In eum exat Epigramma Callimachi Græcum, quod nescio quis in latinam linguam vertit, sic dicens:

Vita vale, muro præceps delapsus ab alto
Dixisti moriens Ambraciota puer
Nullum in morte malum credens, sed scripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.
Certe vel ex hoc exemplo facile constare potest, quam potens sit eloquentia ad flectendos hominum animos, quæ potuit flectere hominem nulla angustia vallatum, ut sibi ipsi ultro inferret mortem, quam omnes natura horrent. Ideo Paulus hæc eloquentia vim, & potestatem optime agnos-

Mmm agnos-

agnoscens, admonet fideles, (*Coloss. 2.*) ut diligenter attendant, ne incauti ab illa decipiantur. *Videte* (inquit ille) *ne quis vos seducat in sublimitate sermonis.* Noverat quippe Paulus illam sermonis sublimitatem esse potissimum ad quidvis persuadendum. Ne quis igitur causetur se per sublimitatem sermonis à Christo Salvatore nostro noluit doctrinam Evangelicam in multo orationis ornatu continuere: *Sed thesaurum suum* (ut alibi Paulus ait *2. Cor. 4.*) *in vasis fictilibus posuit, ut sublimitas sit virtus Dei.* Hinc est, quod Christus ipse, qui est Dei sapientia, recens natus inter duo animalia positus est, & vilibus est panis involutus. Ponitur Dei sapientia inter bovem & asinum, ut eraderet rudem, moneret tardum. Qui autem vilibus panis involvi permittit, idem etiam humilibus verbis à suis prædicari voluit. Et ideo non pollitos oratores, aut artificiosos rethores, aut vehementes disputatores in Apostolos assumpti: *Sed quæ stulta sunt mundi* (ut idem Paulus ait *1. Cor. 1.*) *elegit, ut sapientes confunderet.* Quantum possit gentiliū scriptorū eloquentia viro Christiano nocere, occasione sumpta ex figura veteris Testamenti, aperte declarat Origenes homilia 2. super Hieremiam, ubi exponens illud ejusdem Hieremias cap. 3. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram,* sic ait: „Nabuchodonosor, volens decipere homines per calicem, Babylonis dolosum, non miscuit in vase fictili, quod parabat potari; sed neque in paulo meliore, & aereo vase, vel stanno, & quod isto præcellit argenteum: verum eligens vas aureum, in eo poculum temperavit, ut quis videns decorem auri, dum radiantis metalli pulchritudine delectatur, & totis oculis hæret in specie, non consideret, quid intrinsecus latet, & accipiens calicem bibat, nesciens calicem Nabuchodonosor. Intelleges autem calicem aureum in præsentem nominatum, si animadvertas pelsimorum dogmatum verba morifera, qualem habeant compositionem, qualem decorem eloquentiæ, qualem rerum divisionem, cognosces quomodo unumquisque positarum, qui putantur apud nos discretissimi, calicem aureum temperavit, & in calicem aureum venenum injecit, cerit idololatriæ, & venenum turpiloquii, venenum eorum, quæ animam hominis interimunt, dogmatum, venenum falsi nominis scientiæ. Et aliquibus interpositis, postea subdit: Sæpe vidi aureum calicem in pulchro sermone ornatu, & dogmatum venena considerans, deprehendi calicem Babylonis.“ Hactenus Origenes. Et beatus Hieronymus in Commentariis super Jonam Prophetam circa finem 3. cap. de eloquentia gentiliū loquens, hæc ait: „Quid valeat apud homines sæculi eloquentia, & sapientia sæculi, testes sunt Demosthenes, Tullius, Plato, Xenophon, Theophrastus, Aristoteles, & cæteri oratores, ac philosophi, qui velut Reges habentur hominum, & præcepta eorum, non ut præcepta mortalium, sed quasi oracula accipiuntur Deorum. Et multis interpositis, postea subdit: Unde & de Babylone in Hieremia dicitur: *Calix aureus Babylon inebrians omnem terram.* Quem non inebriabit eloquentia sæcularis? cujus non animos compositione verborum, & disertitudine sua fulgore perfirinxit? “ Hæc Hieronymus. Ex his jam apertissime convincitur, unam ex potissimis causis unde hæreses oriuntur, esse assiduam, & incautam gentiliū scriptorū lectionem. Nam si quæ illi docent, aperte fidem Catholicam oppugnant, & ad persuadendum ea, quæ docent, magnam (ut diximus) habet vim eorum eloquentia, non est cur merito aliquis dubitare

possit, assiduam, & indiscriminam illorum lectionem valde posse nocere Christianis, præsertim si à pueritia sine magna discretionem illis incumbant. Tunc enim ætas illa tenera est velut cera ad facile recipiendum cujuslibet rei impressionem; & quæ tunc recipit, diutius retinet, & difficile omittit. Optime enim dixit Horatius: Quo semel est imbuta recens servabit odorem testæ diu. Cui consonat, quod Salomon in Prov. cap. 22. ait: *Adolescenti juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Et certe re ipsa compertum est multos ex illis, qui libris gentiliū à teneris annis dediti sunt, in varias hæreses incidisse, aut magnam hæresis suspensionem dedisse. Et ut hanc meam sententiam certior, & firmior reddam, aliqua volo in præsentiarum exempla, tum antiqua, tum nova referre, quibus aperte probatur, assiduam gentiliū scriptorū lectionem multarum hæresum fuisse parentem. Hæreticorum omnium primus, qui post Evangelii prædicationem ortus est, fuit Simon ille Magus, de quo in Actis Apostolorum fit mentio. Hunc à Philitione quodam vetustissimo poeta comico suarum hæresum signata desumpsisse, testatur Epiphanius in suo illo opere, quod fecit contra omnes hæreses. Idem etiam de gnosticis hæreticis refert, illos ad imitationem ejusdem Philitionis poetæ suarum hæresum fabulas composuisse. De Valentino idem Epiphanius refert illam fabulosam gentium poeti fuisse deceptum, ut ad Hesiodi imitationem triginta cælos, totidemque Deos esse diceret. Denique Tertullianus in lib. de præscriptionibus hæreticorum, multos ex illis vetustissimis hæreticis refert, qui à gentiliū philosophis suas hæreses hausserunt, sic inquit: „Ipse hæresis à philosophia subornatur. Inde, Æones, & formæ nescio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum. Platonice fuerat. Inde Marcionis Deus, de tranquillitate à Stoicis venerat. Et ut anima interire dicatur, ab Epicureis observatur. Et ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eadem materia apud hæreticos, & philosophos voluntatur, iidem tractatus implicentur.“ Hæc Tertullianus. Sed pergamus ultra, & aliorum hæreticorum, qui post Tertullianum fluxere, exempla proferramus. Priscilliani hæresis docens, homines esse fatalibus stellis alligatos, à philosophorum gentiliū errore descendit. Nam (ut Gregorius Nyssenus in lib. de Fato refert) Chrysippus, & Philopator Stoici, & multi alii præclari philosophi nihil aliud demonstrant, quam omnia secundum Fatum fieri. Quam Jovinianus dicit omnia peccata esse paria, Stoicos philosophos, qui hæc docent, est imitatus. Quam autem jejania nullius esse meriti dicit, & nuptias matrimonio æquat, Epicurei discipulum (ut B. Hieronymus illi exprobrat) aperte se esse demonstrat. Julianus ille Cæsar, qui ob fidem Catholicam à se omnino rejectam, Apostolatæ nomen usque hodie sustinet, ex lectione & conversatione quam habuit assiduam cum Paganis philosophis venenum hausit, quo infectus fuit, ut non solum hæreticus, sed apostata fieret, & Christianorum persecutor acerrimus. Plurimum nocuisse Apollinari Laodiceno artis rethoricæ peritia, & longa deinde conversatio cum Epiphania Sophista, constat ex lib. 5. historię Ecclesiasticę tripartitæ cap. 44. Joannes Vviclef, & quotquot illum in hac parte sunt imitati, dicentes nihil contingeret evenire, sed omnia esse absoluta necessitate procedere, ita ut quæ facta sunt, aliter fieri non possint, unde, quæso, hæc traxerunt hæresim? Nonne ex Aristotelis, &

alio-

aliorum philosophorum doctrina? Nam hi omnes ignorantæ Dei potentiam, ex cuius arbitrio omnia pendunt, & solum ordinem causarum naturalium considerantes, nihil voluntari divini, sed omnia necessitati tribuerunt. Qui autem apertius ostendit à philosophorum doctrina se fuisse deceptum, fuit Petrus Abailardus, qui dixit nihil esse credendum, quod ratione naturali probari non possit. Et unde hoc nisi à philosophis oritur? Nam hi omnem doctrinam ex sola sui intellectus capacitate metiri volunt; & quæ suo judicio non conveniunt, statim rejiciunt; nihil denique recipere volunt, quod intellectus ratione naturali comprehendere non possint. Et inde eventit tanta inter philosophos diversitas; quia cum nullus alterius judicio se subdere, neque aliquid admittere vellet quod suo judicio non conveniat, fuit necesse venire, ut tanta esset doctrinarum, quanta judiciorum varietas. Hæc autem censendi libertas, & inde deducta varietas, aperte repugnant fidei Catholicæ, quam oportet esse omnium unam, & in qua (ut Paulus ait *2. Cor. 10.*) oportet captivare intellectum in obsequium Christi. De Martino Lutero, qui hac nostra ætate prodiit, non est cur putemus eum à lectione gentiliū scriptorū suæ hæreses venenum hausisse. Nam quum primum ille suas hæreses, aut verbo, aut scripto effundere cepit, nihil prorsus Græce noverat, Latine parum, ut priora illius scripta indicant. Et suas hæreses non linguarum peritia, sed dialecticæ, & sophisticis quibusdam argumentationibus tuebatur; cum tamen ipse omnibus scholasticis Theologis hoc exprobraret crimen, eos omnes sophisticas appellans. Multi tamen alii se Lutheranæ familiæ insisterunt, quos non dubio multum documenti ex lectione gentiliū scriptorū sumpsisse ad hæreses facile suscipiendas. Certe Philippus Melancton vir est utriusque linguae Græcæ & Latine callentissimus, & in litteris, quas vocant humanas, valde eruditus, & longa gentiliū philosophorum lectione (ut scripta illius indicant) valde occupatus. Unum tamen in illo valde miror, quomodo potuit arbitrii libertatem negare, cum tantam in seipso experiatu dicendi libertatem, ut quidquid libuerit, nunquam reformidat docere, & quod semel placuit, adeo sibi postea displicere senserit, ut non fuerit veritus revocare. Alii sunt apud Lutheranos, paucissimi tamen, similes Philippo Melanctoni, qui ex lectione poetarum, & aliorum gentiliū oratorum, & philosophorum plurimum veneni (ut ille) sumpserunt.

Ecce quam multa protulimus exempla, quibus aperte probatur assiduam, & incautam prophætorum scriptorū lectionem, multis occasione multarum hæresum præbuisse. Sunt adhuc præter hos omnes multi alii, qui etsi non sint tamquam hæretici declarati, & velut tales ab omnibus æstimati, non modicam tamen de se dederunt hæreses suspensionem, propter multa, quæ juxta doctrinam gentiliū scriptorū, quibus nimium à pueritia dedit fuerunt, Joquuti sunt, & scripserunt. Pomponius Lætus, Domitius Calderinus, Codrus Urceus, & quidam alii ejusdem farinae, qui nunc sunt superstitēs, à multis male audiunt, eo quod magnam dederint hæreses suspensionem. Quantum dederit hoc nostro sæculo hæreses suspensionem Erasmus Roterodamus, vir quidem Græcæ & Latine longe doctissimus, non est opus nunc referre, cum sit toti orbi notissimum. Nam etsi non sit hactenus ab aliquo idoneo iudice de hæresi damnatus, & velut hæreticus declaratus, multi tamen scriptores, ipso vivente, illum de hoc crimine notarunt. Et Universitas Parisiensis multas illius assertiones per censuram publicam damnavit, qua-

rum aliquas hæreticas, alias de hæresi suspectas, alias scandalosas esse censuit. Cui censuræ Erasmus respondens, quamvis in multis ostendat se Catholicum animum habuisse, in quibusdam tamen aliis suspensionem, quæ de illo habebatur, non plene (ut multi existimant) purgavit. Quod malum inde illi evenisse constat, quod à teneris annis fuit circa Poetas, & Oratores Græcos & Latinos diu versatus, à quibus tantam dicendi libertatem accepit, ut quidquid placeret, statim in publicum effudisset. Quis non agnoscat in illo Luciani libertatem, omnium irrisionem, & subannationem? Adeo Luciani mentem & styllum imbibit, ut à multis etiam suæ nationis hominibus Atheos, hoc est, sine Deo, quemadmodum Lucianus appellatus sit. Vir quidem fuit optimo ingenio à Deo donatus, ac proinde scilicet, si sua sorte contentus fuisset, & ea sola tentasset, quæ suis viribus erant paria. Sed post virilem ætatem, quam ferme totam Poetis & Oratoribus dederat, ad sacras litteras, quas sine magistro prævio didicerat, interpretandas accessit. Et in illarum interpretationibus, & annotationibus multa inferuit, quæ si præterisset, multo consultius egisset. Sæpe enim contingit, ut qui palatum ac linguam ex multo esu amarissimorum ciborum habent amaritudine infectam, quidquid deinde biberint aut ederint, eis amarum sapiat; & qui diutius ad solis radios steterunt, is quidquid deinde viderint, eo se se offerat colore quem ipsi secum in oculis glaucitate vitiat circumferunt. Ita qui magnam vitæ partem in Poetis & Oratoribus profanis, præsertim in Ethnicis philosophis consumpserunt, is, quam apud illos dicendi libertatem didicerunt, tenacissime retinentibus, diviniæ litteræ non sapiunt id quod sunt, sed quod illi secum adferunt. Denique in confirmationem eorum, quæ diximus, profero testimonium beati Hieronymi, qui in Commentariis super Jonam Prophetam, circa finem 3. capitis, de sæculari eloquentia dissentens, hæc ait: „Difficile homines potentes, & nobiles, & divites, & multo his difficilior eloquentes credunt Deo; obcæcatur enim mens eorum divitiis, & opibus, atque luxuria, & circumdati vitiiis, non possunt videre virtutes; simplicitatemque scripturæ sanctæ non ex majestate sensuum, sed ex verborum judicant utilitate.“ Hæc Hieronymus.

CAPUT IX.

De remedio contra præfatam hæresum causam.

Multis rationibus, multisque exemplis manifeste jam (ut existimo) probavimus, assiduam, & incautam prophætorum scriptorū lectionem esse apertam multarum hæresum causam. Sed opus est, ut huic occurramus, & antidotum tam potenti veneno paremus, caute tamen, ne forte hanc causam profusus tollere volentes, aliam multo plurium malorum causam suscitemus. Nam sicut assidua, & indiscriminata prophætorum librorum lectio multarum potest esse hæresum causa, ita è contrario omnino à libris Gentiliū abstinerere, multas poterit hæreses generare. Quoniam scientiæ liberales, quæ vix ab aliis quam à Gentiliū scriptoribus disci possunt, sunt ad sacræ scripturæ intelligentiam adeo necessaria, ut illarum ignorantia multas valeat hæreses procreare, sicut re ipsa comprobatum est, pleraque hæreses ab illa processisse. Est enim in primis necessaria grammaticæ cognitio, & non levis, sed plena, & consummata, ut sciat plenam vocum significationem, & illorum compositionem, & structuram. Ex cuius rei ignorantia

ria

leges Grammaticæ præterent, ne leges carminum dimittant. Deinde, si Poetas pueris tradere necessarium esset, alios multo meliores, qui minus moribus, & religioni obesse poterant, tradere oportebat. Habent illi Virgillum Poetarum Principem, qui & si multa de Diis nefanda referat, in reliquis tamen non est adeo pestilens, ut alii. Habent Lucanum, potius oratoribus (ut Quintilianus ait) quam Poetis imitandum. Habent Horatium Poetarum castissimum. Habent Persium, & Juvenalem vitorum objurgatores. Habemus & nos etiam Christianos Poetas, viros eloquentissimos, Juvenum, Sedulium, Prudentium, Aratorem, Lactantium, Victorinum, Palladium, qui malorum virorum doctorum iudicio, in multis rebus cum Gentilibus Poetis certant, & in aliquibus eos vincunt. Habemus etiam ex Recentioribus Baptistam Mantuanam, Syncerum Sannazarium, Antonium Flaminium, qui nuper plerosque doctores carmine Heroico digessit. Hos Christianos Poetas pueris imprimis tradendos censeo, à quibus illi linguæ Latinæ pietati, pietati religionique conjunctam discere poterunt. Reliquos vero Gentiles Poetas, si quando illi legendi sunt, ab illis solum, qui jam in virtute, & religione profecerunt, legendos esse puto. Et quod de laicis Poetis dixi, de aliis, qui soluta oratione similes lascivias, & obscenitates scripserunt, qualis est in suo Asino auctore Apulejus, idem prorsus dicendum esse puto. Neque ab hac lege, & censura excludo eos libros qui de mendaciis, & falsis amoribus in linguis vulgaribus scripti sunt, qui adeo legentibus placent, ut illos multis rerum feriarum & verarum scriptoribus præferant. In quibus id nunc evenisse videmus, quod Paulus longe ante futurum prædixerat: (2. Tim. 4.) *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Parum quidem refert, quo idiomate sit liber scriptus, si in uno æque, ut in altero ea scribantur, quæ nec ad mores, nec ad religionem conducere possunt. Circa reliquos omnes Gentilium scriptores, hanc censeo habendam esse discretionem, ut illi potissimum eligantur, quos constat minus Religioni Christianæ, & bonis moribus repugnare. Quapropter ex Gentilibus omnibus Ciceronem potissimum vellem, illis qui linguam Latinam discunt, tradi. Quoniam sicut est Romani eloqui maximus auctor, ita est ad animos hominum in bonis moribus instituendos, valde proficuum. Post Ciceronem secundum locum tribuo Plinio Juniori. Sed ante hos omnes vellem, ut pueris traderentur aliqua opuscula Christianorum virorum, qui in lingua Latina fuerunt eloquentissimi, ut fuerunt Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Ambrosius, Paulinus. Ab his enim pueri eruditi, ea quæ ad Religionem Christianam, & bonos mores spectant, simul cum recta dicendi scribendique ratione, discere poterunt. Cum jam pueri adoleverint, & fuerint in fide fundati, & de Christianis moribus satis instructi, tunc expediret illis, liberam concedere per Gentiles oratores, & historiographos spatium licentiam, ut ab illis uberibus de lingua Latina doceantur. Quod ad Philosophos attinet, bene actum esse puto, ut Aristotelem, quem potissimum, velut Principem, imitaretur, tota Recentium Philosophorum schola susceperit. Is enim pauciora continet, quam ceteri, quæ Christianæ Religioni repugnent, & melius quam alii ea, quæ ad mores, & civilem politiam pertinent, docet. Plato namque & si plus (ut Augustinus ait) Christianæ Religioni approximet, ea tamen quæ tradit, non ita aperte, & distincte ut Aristoteles, sed per quasdam figuras, & ænigmata

quæ vix intelligi possunt, differit. Deinde per dialogos disputat. Quæ res non parvæ difficultatis causam præbet, quia sæpe nescitur quam duorum disputantium partem tenere velit. Ob quam causam ego censeo illum, non à pueris, sed à solis viris doctis esse legendum. De Mathematicis scriptoribus eos in universum rejiciendos esse puto, qui de Astronomia, præsertim judiciaria, differunt. Nam eorum ferme omnia sunt plena mendaciis, & multa doctæ, quæ à viro Christiano longissime abesse oportet. Alios Mathematicos, qui Arithmeticam, aut Geometriam, aut Pæctivam, aut Cosmographiam docent, legendos esse puto. Quoniam multa continent, valde humanis usibus proficua, & nihil in illis docetur, quod cum fide catholica pugnet. Hoc remedium contra hæreses, ne oriantur, facile Christiani Principes præstare possunt, præcipiendo in terris sibi subjectis, ut puerorum præceptores, eos solum Gentilium libros illis tradant, qui minus illos ledere, & magis ad pietatem, & mores proficere possint. Habita jam circa libros Gentilium necessaria discretione, ita ut illi eligantur qui minus nocere, & magis proficere possunt, altera superest circa ipsos libros jam selectos habenda de rebus consideratio, ita ut falsis dogmatibus rejectis, ea solum probemus, & in nostrum usum recipiamus, quæ Christianæ Religioni magis servare possunt, aut quæ illi non sunt contraria. Cui electioni, ut recte fiat, duo genera personarum servare possunt, videlicet præceptores qui alios docent, & ipsi qui à Magistris audiunt, aut per se ipsos sine præceptore discunt. Primi qui favere debent, & possunt, sunt præceptores, & magistri qui Gentilium libros aliis interpretantur. Hi enim quotiens aliquid fidei catholice repugnans invenerint in libro quem interpretandum susceperant, debent velut cæcorum ductores, diligenter, & doctè discipulos suos admonere, ut ab illo tamquam à periculosissimo lapsu abstinant. De qua re extat necessarium vere Christianum decretum æditum in Concilio Lateranensi, sub Leone decimo, sessione 8. cuius verba sunt hæc: *Insuper omnibus, & singulis Philosophis in Universitatibus Studiorum generalium, & alibi publice legentibus districte præcipiendo mandamus, ut quum Philosophorum principia, aut conclusiones, in quibus à recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu explanaverint, quale hoc de mortalitate animæ, aut unitate, aut mundi æternitate, ac alia hujusmodi, teneantur eidem veritatem Religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo pro posse docere: ac omni studio hujusmodi Philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere, atque resolvere. Hæc ex Concilio Lateranensi. Deinde, post præceptoris diligentes admonitiones oportet, ut ipsemet qui præceptores audiunt, aut qui per se ipsos sine magistro prævio Gentilium libros legunt, sibi ipsi consulant, & diligenter attendant, ut errores devitent, & sola ea quæ sunt aperta, & Religioni Christianæ convenientia, recipiant, à reliquis autem tamquam à veneno abstinant. Unde Basilii nepotes suos edocens, quo pacto Gentilium libri sint legendi, ait, *Vedite, ut eis ad quos accedunt, omnia auferre conantur: sed quantum ipsi ad opus necessarium fuerit, comprehendentes, reliquum dimittunt. Nos etiam, ut sobrii, sapienter, que quantum congruum nobis, propinquaque veritati ex ipsis fuerit, persequamur, reliquum prætereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus: sic in talibus sermonibus quicquid est utile capientes, non**

xiu virescunt. Hæc Basilii. Ut autem hoc Basilii consilium lectores recte exequi possint, tria (ut ego existimo) illos facere oportet. Primum est, ut cum ad Gentilium libros legendos accedunt, firmi, & stabiles in fide catholica accedant, & illam semper præ oculis habeant, & plus sacre scripturæ, & Ecclesiæ Catholice credere proponant, quam bis mille Philosophis oppositam sententiam doceantibus. Nam hoc solum animi propositum, sperandam est in Deo, quod non permittet illos à Gentilium librorum lectione decipi. Si autem quis nutans, aut dubius, ad illorum lectionem accesserit, facile ab eis ad suum errorem trahetur. Alterum illis, necessarium est humilitas, qua nolit soli suæ prudentiæ inniti, sed agnoscat se hominem esse, qui facile decipi possit, & si aliqua argumenta fidei catholice pugnantia, quæ ipse forte solvere nititur, apud illos legerit, suam non vereatur ignorantiam fateri, potius quam scripturam dicere mendacem, aut Ecclesiam errare. Et sic scripturam sacram, & Ecclesiæ sententiam semper pro judicio præferens, quamvis validissimis argumentis ex Gentilium lectione oppugnetur, nunquam succumbet. Nam (ut Salomon ait Proverb. 1. 1.) *ubi humilitas, ibi sapientia.* Tertium denique necessarium est, ut cum Gentilium libros legerit, plus sensus quam verba consideret, plus quid, quam quomodo dicatur attendat. Nam qui solum verborum ornatum, & non res ipsas consideravit, facile à Gentilibus, qui nimio verborum splendore fulgent, decipietur. Qui hæc omnia recte peregerit, facile, Deo adiutore, verum à falso discernet, pretiosum à vili & sanctum à profano separabit, & sic tutus ad gentilium lectionem accedet, ut ex illa proficiat, erroribus illorum rejectis, veritatem fidei Catholice convenientem in suum usum convertens: quem admodum olim vir Israelita mulierem ex gentibus captam, quæ sibi pulchra videretur, lege permitte, matrimonio sibi copulare poterat: *Si agressus fueris (inquit lex Moyse Deuter. 21.) ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos dominus Deus tuus in manu tua, captivæque duxeris, & videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, introduce eam in domum tuam, quæ radet caesariem, & circumcidet unguis, & deponet vestem in qua capta est: sedensque in domo tua sibi patrem & matrem uno mense, & postea intrabis ad eam: dormisque cum illa, & erit uxor tua.* Ad hunc modum ego de gentilium doctrina, si eam vir Christianus sibi copulari voluerit, faciendum esse censeo. Nam beatus Hieronymus in epistola quam scripsit Magno oratori Romano, cuius initium est: *Sebestium nostrum, de eadem gentilium doctrina interpretatur ea quæ de muliere gentili capta lex Moyse facere præcepit, antequam illa caperetur in uxorem. Nam cum argueretur, quod libris Ecclesiasticis admisceret literas Ethnicorum, & sacra prophetis contaminaret, ostendere volens illi sibi licere, & multorum sanctorum exemplo id fecisse. Paulum inter alios in exemplum producit, qui aliquoties Græcorum poetarum versus ad suæ sententiæ confirmationem citavit. Et tandem de eodem libro loquens, hæc ait: *Ac ne parum hoc esset, doctor Christiani exercitii & orator invictus pro Christo causam agens etiam, inscriptionem fortuitam, arte tortam in argumentum fidei. Didicerat enim à vero David, (1. Reg. 17.) extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. Legerat in Deuteronomio (cap. 21.) voce Domini præceptum, mulieris captivæ radendum ca-**

put, supercilia, omnes pilos & unguis corporis amputandos, & sic eam habendam in conjugio. Quid ergo mirum, si & ego sapientiam faculearem, propter eloqui venustatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiva Israelicidem facere cupio? Et si quicquid in ea mortuum est, Idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum vel præcido, vel rado, & mixto purissimo corpori vernaculos ex ea genero domino Sabaoth? Hactenus Hieronymus, qui illam Deuteronomii legem de sapientia seculari, aut de veritate inter gentiles nata & nutrita, & à Christianis capta, non tam interpretatur, quam innuit posse de illa interpretari. Ideo ego operæ præmium me facturum existimavi, si illius legis singulas partes explicans, huic proposito accommodarem, ut inde aliqua ex parte discamus quatenus liceat gentilium libros legere. Ad pugnam contra inimicos suos egressi sunt doctores Ecclesiastici, quando ad subvertendam mundanæ sapientiæ dogmata processerunt. Arma quibus instructi sunt ad pugnam, inter alia Paulus dicit (Ephes. 6.) esse gladium spiritus quod est verbum Dei. Hujusmodi gladii armati erant sancti illi, de quibus regius Propheta ait: (Psalm. 148.) *Gladii accipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* In hoc bello, aliquando capitur mulier pulchra: quia viri docti & fideles gentilium libros persecutantes, inter falsa illorum dogmata quæ subvertere conantur, pulchram aliquam veritatem, & decoram sententiam reperiunt, quæ illis mirum in modum placet. Et hanc si quis in domum Ecclesiæ Catholice trajicere, & eam sibi velut uxorem marito copulare voluerit, non prohibetur: hac tamen conditione, ut prius puellæ caesariem radat, unguis abscindat, vestemque, in qua capta fuerat deponat, & sedens apud nos, flectat patrem & matrem (suam uno mense. Capilli & unguis, non nisi necessarij ad corporis humani vitam, nec ad perfectam illius subsistentiam constituendam: sed sunt illi omnino superflui. Radere ergo puellæ caesariem, unguisque illius circumcidere, hoc significat, ut quicquid in illa pulchra veritate apud gentiles reperta, superfluum fuerit, & nullius profus utilitatis, resecetur. Et quia vestes sæpius ad iactantiam & vanam gloriam, quam ad tegumentum servant, hinc est quod vestis depositio, in qua puella capta fuerat, significat, ut veritas illa inter gentiles reperta, inflatione nudetur & humoris superficie qua apud gentiles vestita invenitur, qui dicentes se esse sapientes & apud semetipsos prudentes, nunquam humiliter loqui noverunt: sed cum fastu & gloriæ ambitione. Sub alia ergo veste est nobis mulier ista conjungenda: qui eam ipsam quam ab illis didicimus veritatem non cum ea pompa eoque fastu, quo illi: sed cum sobria gravitate & sine ullo supercillio scribere & proferre debemus. Illa tamen apud nos sedens, flere debet patrem & matrem suam, eos videlicet à quibus gentita est. Flere illa dicitur, non quia ipsa fleat: sed quia eos qui illam apud gentiles legunt, provocat ut tantorum virorum, qui talia scribere poterunt, perditionem doleant. Hac enim locutionis figura in communi proverbio uti solemus, lætam epistolam dicentes, quæ lætos facis legentes, & domum tristem, eos habitatores illius provocat ad tristitiam. Eadem etiam figura sæpe sacre utuntur litteræ. Nam Paulus ait: (Rom. 8.) *Spiritum sanctum postulare pro nobis mulieribus inenarrabilibus.* Postulare dicitur & gemere: quia quos ipse sua gratia repleverit, postulare facit & gemere. Et beatus Petrus de Juda Scharioth in actibus Apostolorum (cap. 1.) loquens in-

F. ALFONSI A CASTRO
ZAMOREN. ORDINIS MINORUM,
REGULARIS OBSERVANTIÆ,
IN DUOS LIBROS QUOS DE LEGIS POENALIS POTESTATE EDIDIT,
P R A E F A T I O.

DUAS, & non parum noxias, à diversis contra Legem Pœnalem video dici sententias, à multis tanto cum applausu receptas, & usque eo celebratas, ut quisquis contra visus fuerit sentire, ab illis exhibetur, & ridiculus habeatur, perinde ac si contra divinum oraculum aliquid pronunciasset. Sunt enim qui sentiunt nullam legem obligare subditorum conscientias ad pœnam, ab eadem Lege contra illius transgressores decretam, nisi adit Judicis sententia, quæ aliquas legi superperias ferat. Qui ita sentiunt, hac sola ratione ostendunt, se minorem facere Legis potestatem, quam Judicis, cum sæpe Judex, illis etiam fatentibus, sine ullo legis subsidio, sed solo suo mandato, subditos suos possit obligatos ad pœnam reddere. Nec pauci aut indocti, sed multi & doctissimi viri sunt, Theologi pariter atque utriusque juris humani interpretes, qui hoc docent. Sunt iterum alii hanc virorum doctorum sententiam sequuti, qui illam perpetam interpretantes, ad omnem culpæ obligationem extenderunt, dicentes Legem Pœnalem, neque ad pœnam, neque ad id propter quod statuitur pœna, obnoxias facere subditorum conscientias. Tamquam si pœna, quæ ad mellorem legis observationem statuitur, liberiores faceret homines ad eisdem legis transgressionem. Expediret igitur, numquam pœnam legibus addere, si illa addita, eo ipso omnis prorsus obligatio ad culpam tolleretur. Quoniam minor est comminatio pœnæ temporalis, quamlibet acerba, quæ per legem humanam statui potest, quam obligatio culpæ, quæ, si mortalis est, pœnam minatur æternam. Nam ob hanc causam, ut sæpe re ipsa comprobatur, quotquot aliquam animæ suæ rationem habent, periculo pœnæ quamvis durissimæ se libentius obijciunt, quam ut se reatu culpæ mortalis innectant. Fictitæque necessario juxta istorum sententiam, ut pœnarum terroribus non coercerentur homines à legum transgressionem, sed potius licentiosi fiant ad illam. Sed bene ferres habet, quia qui ita sentiunt, licet multi sint, multo tamen sunt minus docti, quam superiores, & prorsus indigni, qui cum illis vel à longinquo conferantur. Utrique tamen contra legem pœnalem conjurasse mihi videntur, ut omnem ab illa tollant potestatem, & sic mancam, omnibusque prorsus viribus carentem, illam relinquunt. Quanta, quæso, erit legum pœnalium potestas, si illæ neque ad culpam, neque ad pœnam subditos suos obligare possint? Hanc tantam legum pœnalium dejectionem, & tyrannicam (ut ita dicam) depressionem ego diligenter considerans, & æquo animo ferre non valens, ad propulsandam hanc, quæ illis infertur injuria, contra hostes illius in arenam descendere statui. Nam pro patriis legibus, & illarum robore, atque potentia, veluti pro patria ipsa, virum for-

tem pugnare oportet. Quoniam sublata legum potestate, multo vilior, atque debilior patria erit, quam si omnes illius muri ad terram prosternerentur, & omnia tormenta bellica, quibus omnes suos hostes à se propellere possent, protinus confringerentur. Quoniam nisi leges vires habeant, quibus homines ad bonum impellere, & à malo deterere valeant, tanto patria erit pejoribus hostibus pervia, quanto peiores hostes sunt vitia, quæ animum jugulant, quam alii, qui, etsi corpus occidere possint, animæ autem nec tantillum incommodare valent. Sunt enim leges, præsertim pœnales, quæ potissimum patriam custodiunt. Sunt muri civitatum, in quibus totum illarum præsidium constitutum est, & quibus bonos quam utilissimè detinent, malos arcet, & sibi appropinquare non sinunt. Sunt tormenta bellica, quorum terrifico tonitruo, vita, quæ (ut dixi) plusquam mille alii hostes civitatis nocere possunt, longissimè ab eis repelluntur. Tolle igitur utramque legum potestatem, & nullus illas reverbitur, nullus illas debito prosequetur honore, nullus denique illas metuet, sed vitia quæque sine ullo timore in civitatem irumpant, & tanto pejus illam depraedabuntur, & tanto ditiora ab illa auferent spolia, quanto meliora sunt animæ quam corporis bona. Ne igitur hæc omnia eveniant, decrevi tam improba & tam noxiæ factioni in hoc opere occurrere, & pro legum pœnalium potestate sic pro viribus pugnare, ut hos duos errores, qui illam obstinatè animo oppugnant, ab studiorum palestra valeam profigere. Hanc autem totam disputationem duobus libris partiendam esse censui, ut suis cuique errori liber respondeat, & uterque illorum suo libro refellatur, & convincatur. Primo libro (ut à facillioribus ad magis ardua progrediar) illum errorem aperte convincam, qui docet, nullam legem pœnalem obligare subditorum conscientias ad culpam, præsertim mortalem. Altero libro contra illos oppugnabo, qui dicunt legem pœnalem numquam sine iudicis adminiculo obligare ad pœnam, aut illam insigere posse. Verum si tam multi, & tam fortes viri sunt, qui stant ex adverso, qua fronte, aut quo animo ego solus eos omnes ad certamen provocare audeo. Si negant, vel Herculem adversus duos fuisse parem, quinam fiet, ut ego imbecillis homo tot Hercules vincere possim? Sed vincit omnia Veritas; nec est qui prævalere possit contra illam. Vincet ergo quisquis pro veritate pugnaverit, præsertim quum Deus ipse semper veritati faveat, & eos, qui pro illa tamquam pro re, quæ potissimum ad ipsum spectat, certant, potentissime adjuvet. Ut autem aperte, Deo adiutore, possim de illis omnibus triumphare, nihil præter divini numinis favorem desidero, nisi æquos iudices, qui non personas, sed merita respiciant, neque personis, sed meritis victoriæ coronam tribuant. Neque est, quod miretur ali-

aliquis me hoc desiderare: cum solemne sit multis, non quid, sed à quo dicatur considerare. Pro qua re satis mihi esse arbitror, producere in testem sapientem Ecclesiasticum, qui hanc præposteram hominum sententiam subinde contingere refert. *Diviti decepto*, inquit Sapiens cap. 3. *multi recuperatores, locutus est superba, & justificaverunt illum. Humilis deceptus est, insuper & arguitur: locutus est sensate, & non est datus ei locus. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducunt. Pauper loquutus est, & dicunt: Quis est? Quicumque ad illustres illos viros qui multis parasangis me antecellunt, referre me voluerint, merito illos divites, & me pauperculum & abjectum pronuntiabunt: ac proinde metuo, ut si me, quamvis sensate loquentem, illorum sententiæ contradicentem audierint, cum indignatione, aut designatione dicant: *Quis est hic?* Ob hanc causam hujus operis lectores, quos solos futuros esse hujus pugnae iudices, per viscera Charitatis, quæ est in Christo Jesu, adjuro, ut quum disputationem hanc legerint, omnem procul à se rejiciant humanum affectum, quatenus possint utriusque partis merita rectè cognoscere, & sic libere de victoriâ censere. Oro illos, ut nullam personæ respectum habeant, sed considerent Deum, quæ sua est potentia, subinde linguas infantium fecisse disertas, & gregum pastores fecisse prophetas, & aîne elingui usum linguæ dedisse, rudes denique piscatores eatenus erudisse, ut sua postmodum doc-*

trina totum illustraverint orbem. Oro insuper eos, ne illos moveat ad censendum de victoriâ pugnae, quod multi sunt qui mihi adversantur: quoniam facile est (ut sapienter fortissimus ille Judas dixit 1. Mach. 3.) concludi multos in manu paucorum, & non est in multitudine exercitus victoriâ belli, sed de caelo fortitudo est. (3. Reg. 22.) Non oportet numerare, sed ponderare sententias: quoniam est quadringenti circiter Prophetæ Regi Achab prædixerunt bona, Michæas tamen, qui solus contra illos omnes sententiam dixit, verior illis inventus est, & contra illos omnes prævaluit. Nec tamen hæc ideo dixerim, quod me verum Prophetam, & reliquos omnes falsos esse dicam. Absit. Non sum enim adeo demens, aut *philautos*, ut me solum pluris faciam, quam reliquos omnes; sed hæc tendit illa historica allusio, ut ex fide historici quisque intelligat Deum in hac disputatione id mihi præstare, quod aliis longe promiserat. (Iosue. 23.) *Unus ex vobis persequetur hostium mille viros.* Dei omnipotentis auxilium expecto, qui semper prope esse solet omnibus rectè invocantibus eum. At nullus rectius illum invocatur, quam qui pro tuenda veritate illum orat. Hæc igitur firmissima fiducia manitus, in disputationis campum descendo, pro Legis Pœnalis utraque potestate pugnaturus, ut illam, Deo favente, ab hostium injuria defendam, & sic mutuatim relinquam, ut quisquis pro illa deinceps pugnare voluerit, minimo negotio illam tueri valeat.

F. ALFONSI A CASTRO
ZAMOREN. ORDINIS MINORUM,
REGULARIS OBSERVANTIÆ,
DE POTESTATE LEGIS POENALIS.
LIBER PRIMUS.
CAPUT PRIMUM.

Quid sit Lex.



QUONIAM non de omni lege, sed de sola lege humana, quæ pœnam transgressori infligendam esse decrevit, in hoc opere disserere statui: ideo necessarium esse censui, primum hæc duo singularim pertractare, quid sit lex humana, quid etiam pœna, ut inde omnibus aperte constare possit, quid sit lex pœnalis, de cuius solius potestate in præsentiarum disputatione decrevi. Legem humanam alii aliter definiunt, & inter tam multos illius definitores rarus certe est (absit vero invidia) qui integram, & exactam legis definitionem reddat. Ac proinde quid cuique definitio desit, ea qua potui diligentia circumspectans, unam ex omnibus legis definitionibus nunc colligam, quæ omnes illius partes integre complectatur, & aperte declaret: & deinde in proxime sequenti capite aliam definitionem defectus prodam, & illas mancas, & diminutas esse convincam. Lex est recta voluntas: ejus, qui

vicem populi gerit, voce, aut scripto promulgata, cum intentione obligandi subditos ad parendum illi. Quæ definitio, cum multis & variis in se contineat partes, omnes eas singularim explicare oportet, ut inde constet, nullam illarum superfluum, sed omnes merito fuisse in definitione collocatas. Ante omnia tamen admonere decrevi lectorem, ut intelligat, me hic solam legem justam definire. Quoniam, quæ justa non est, legem nullatenus dicendam esse censet Augustinus, qui libro 1. de libero arbitrio, sic ait: „Mihî lex esse non videtur, quæ justa non fuerit. Et idem lib. 19. de Civit. Dei, cap. 21. iterum ait: Non enim jura (inquit ille) dicenda sunt, vel putanda iniusta, quæ hominum constituta, cum illud etiam ipsius esse dicant, quod de justitiæ fonte manaverit.“ Hæc Augustinus. Probatur adhuc idem per id quod dicitur in cap. Jus generale, distinct. 1. Ibi enim dicitur, legem esse juris speciem. Lex autem, quæ justa non est, jus non est: ergo lex